

proprio Marte ad Antimonium confu-  
 gisse: cuius tria grana, binis vomitioni-  
 bus, ternisq; deiectionibus, copiam bi-  
 lis haud contemnendam eo bono edu-  
 xerint, vt ab vrgentibus malis actutum  
 fuerit liberatus. Ibidem Georgij Hand-  
 schij haud vulgaris medici, eorundem  
 euentuum exempla, sed & aliorum alia  
 nonnulla in medium adducit. Fatetur  
 Conradus Gesnerus, præclaræ erudi-  
 tionis vir, ab omni laude felicior, ad Fo-  
 rerum medicum Vitoduranum literis  
 perscriptis, se melancholicis paroxys-  
 mis exagitatae mulieri tria Antimonij  
 granula, cōditis rosis mixta, cū successu  
 exhibuisse: vt alijs quoque, eodem ad-  
 fectus genere detentis ægris, idem exi-  
 stimet ex vsu salutari futurū remedium.  
 Quod si quispiam auctoritati tam præ-  
 clari viri non aduersetur, vel solo Euo-  
 nymo eius, quem posthumum Vuolffi-  
 us formauit, cuius ipse Gesnerus in epi-  
 stola, ad Cosmam Holtzachiū scripta,  
 meminit, permoueatur. Ioannes Peleta-  
 rius, Petrus Droëtus, & I. Ant. Sarrace-  
 nus apertè docent, quantis viribus, im-  
 manem, & insolentem hostem, pestife-  
 rum

*Li. 3. Epist.*

*Li. 3. Epist.*

*Libb. de  
Peste.*